



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 58. Claudii de Givrii Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A. C. 1561. canus, ac demum cedente eodem Montano Sipontinus Archiepiscopus est renuntiatus: postquam vero obeunte Paulo III. Montanus sub nomine Julii III. Divi Petri Cathedram conscenderat, ab eodem Mercurius primo Messinensis Archiepiscopus, & postea unacum aliis Mense Decembri Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Cardinalis tit. Sanctæ Barbaræ, ac demum S. Cyriaci fuit electus, quo tamen titulo postea dimisso ad illum SS. Quirici, & Julitæ translatus est. Tanti semper fuit apud Julium Papam, ut hic nil absque ejus consilio peragere videretur: tandem Romæ in Palatio Vaticano, ubi habitabat, die Dominica secunda Februarii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, annos natus quinquaginta obiit, sepultusque fuit in Ecclesia S. Marcelli.

§. LVIII.

*Claudii de Givry Cardinalis
extrema.*

Ciacon. p. 526
San. Marth.
in Gallia
Christ. Alter erat Claudius de Longuy, seu de Givry Philippi Longuy Givryensis, & Joannæ Baufremontiaë filius, qui primo Canonicus, postea Archidiaconus, ac demum Anno millesimo quingentesimo decimo tertio cedente Stephano
ejus

ejus Patruo Matisconensis Episcopus renuntiatum est: temporis vero progressu ad Sedem Lingonensem, ac demum ad Ambiensem, & Pictaviensem Episcopatum fuit translatus, eratque etiam Abbas ad S. Benignum, & Divioni ad S. Stephanum, necnon Pictavii ad S. Cyriacum, aliisque in locis: insuper idem, cum Matisconensis esset Episcopus, pro Francisco de Rohan Archiepiscopo Lugduni Provinciale Concilium celebravit Mense Martio Anno Christi millesimo quingentesimo decimo septimo, atque interfuit Massiliensi colloquio, quod Franciscus I. in eadem urbe cum Clemente VII. summo Pontifice habuit, ibidemque Claudius a præfato Papa Mense Novembri Anno supra millesimum quingentesimo trigesimo tertio unacum aliis tribus natione Gallis Cardinalium Collegio fuit adscriptus. Ceterum Vir erat pietate, necnon summa in Ecclesias liberalitate, morumque integritate plurimum commendandus, qui etiam in ævi sui negotiis semper operam suam utiliter impendit, tandem autem hoc anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo die octava Augusti octogenarius decessit apud Mussiacum, indeque Corpus ejus ad Lingones translatum ibidem ad dexterum Majoris Altaris cornu sepultum fuit.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

R 4

§. LX.